



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1773

VD18 90118677

§. 1. Hungarici belli initium adversus Turcas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)



HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

CONTINUATÆ

LIBER CLXXXII.

~~~~~  
CLEMENS VIII. PONTIFEX MAX.  
RUDOLPHUS II. OCCID. IMP.

§. I.

*Hungarici belli initium adversus  
Turcas.*

Cum turcæ in superhabitis induciis  
Anno Domini millesimo quingen-  
tesimo octogesimo quarto sancitis  
Carniolam, Croatiam, & Bosniam in-  
festis armis invaderent, pluresque ur-  
bes

Sæcul. XVI,  
A.C. 1596.

Thuan. hist.  
lib. 115.  
Chytræus  
l. 30. p. 897.

*Hist. Ecclesiast. Tom. LII.*

A bes

Sæcul. XVI.  
A.C. 1596.

bes Christianis eriperent, ineunte hoc anno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo sexto Rudolphus II. Imperator auctis undique viribus bellum adversus hosce Barbaros instaurare constituit, hancque in rem præter militum suppetias a summo Pontifice, nec non ab Ordinibus, & singulis Imperii Circulis sibi submissas, insuper ex Austria, Bohemia, Hungaria, Moravia, aliisque ditionis suæ regionibus copiosum contraxit exercitum: præprimis vero Nicolaum Palfium, & Terkensem Comitem strenuos Belliduces Strigonio, munita Hungariæ inferioris Urbe, excurrere jussit, non sine prospero primæ expeditionis successu; quippe hi in Croatiam penetrantes in quadringentos Turcas incidunt, eosque usque ad Wihilzæ urbis a turcis captæ portas insequuntur, atque omnibus ferme captis, pluribusque eorum occisis vicinos agros depopulantur, demum vero opima præda onusti Strigonium victores redeunt. Tornahusius quoque exeunte Mense Januario Tartaros Sescinensem agrum devastantes, quos potius prædæ aviditas, quam victoriæ spes ad opem ferendam impulerat, impetu facto repressit, ac cum ingenti damno recedere coegit. Paulopost cum Temesvariæ Bassa, seu Præfectus a Mahomete Turcarum Imperatore

peratore Constantinopolim revocaretur, in itinere omnibus suis impedimentis ab Heiducis, (ita Hungari suos pedites appellant) spoliatus, ac in prælio trucidatus fuit, ubi dein caput hastæ affixum a victoribus Albam Juliam delatum est: sequenti autem Mense Februario Palsius Vaciam Urbem concubiæ noctis beneficio admotis scalis superabat, Turcarum plurimis aut igne absumptis, aut in Danubio submersis: cum vero idem Bellidux Urbis arcem ob accurrentes turcarum suppetias expugnare desperaret, direpta, incensaque urbe discessit.

§. II.

*Maximilianus Cæsaris Frater Christiani exercitus Bellidux nominatus.*

Equidem Imperator præter summi Pontificis, Florentini, Ferrariensis, & Mantuani Ducum copias plusquam viginti equitum, ac quinquaginta peditum millia recensabat, agebatur tamen de Belliduce ad tanti belli administrationem idoneo, a cujus fortitudine, reique bellicæ experientia magis prosper, quam superiori æstate, magisque Ecclesiæ, atque Imperio salutaris exitus sperari posset: igitur Carolo Mansfeldio anno priori ex alvi profluvio fatis functo Rudolphus

Sæcul. XVI.  
A.C. 1596.

*Chytræus*  
p. 910.  
*Thu. l. 6.*